



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

20. Cognitio & amor charitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## P A S S U S XX.

Cognitio & Dilectio Charitatis, seu ejusdem naturæ & essentiæ.

## T E X T U S.

*Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deut. c. 6. 5.*

## Cognitio.

CHARITAS est virtus, quâ Deus non ob timorem pœnæ, nec ob spem præmiis; sed propter semetipsum, & ob suam bonitatem diligitur.

## Actus Charitatis:

1. Complacere sibi, in summa bonitate Dei, & affectu, Ipsi, tanquam summo bono, conjungi.
2. Velle Deo suum bonum intrinsecum, ut essentiâ, potentiam, sapientiam, bonitatem, &c. & gaudere, quòd sit tam perfectus.

3. Desiderare DEO gloriam, bonumque externum, ut videlicet ejus nomen sanctificetur, à nobis & aliis, atque ut omnia cedant ad majorem ejus gloriam.
4. Dolere de impedimentis gloriae Dei, v.g. de peccatis nostris & alienis, aliisque obstaculis, & ea efficaciter removere, eò quòd sint injuriæ Dei.
5. Velle frequenter conversari & loqui cum Deo, aut de Deo.
6. Desiderare magis Deo frui in hac vita; eique magis uniri per observationem mandatorum, per perfectionem, & consiliotum evangelicorum adimpletionem.
7. Desiderare eodem magis & citius frui in patria, exemplo S. Pauli, dicentis: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*
8. Diligere omnia, quæ Dei sunt, præcipuè tamen proximum.
9. Lætari de omni eo, quod Deo placet, sive prosperum sit, sive adversum, sive dulce, sive amarum.
10. Tristari de omni eo, quod Deo displicet, & ejus jussis repugnat.
11. Omnia adversa, etiam ipsum martyrium, propter Deum, cum gaudio sustinere.
12. Charitatem ardentem, instantèrque à Deo postulare, & omnia ei adversantia repudiare.

*Dilectio.*

O quis charitatem, virtutum omnium reginam, tantopere à Deo præceptam, non quærat, non ambiat, non diligit? Quæ adeo ad salutem est necessaria, tantæque bona complectitur; Si enim *linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut as sonans. 1. Corinth. 13. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas nunquam excidit: charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non irritatur, non cogitat malum. O quis charitatem, tot fructuum præstantium feracem, non optet & expetat?*

*Petitio.*

Deus, qui diligentibus Te, bona invisibilia præparasti: da nobis inviolabilem tuæ charitatis affectum; ut Te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur.

*Aspirationes.*

*1. Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur? Lucæ c. 12. 49.*

II. O ignis, qui semper ardes, & nunquam  
extingueris! o amor, qui semper uris, & nun-  
quam tepescis! accende me, & accendar,  
ut totus diligam Te. S. Aug.

III. Omnia detrimentum feci, & arbitror  
ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Ad  
Phil. c. 3. 8.

## PASSUS XXI.

Charitas Cordis.

TEXTUS.

*Præbe, fili mi, cor tuum mihi,  
& oculi tui vias meas custo-  
diant. Proverb. 23. 26.*

Cognitio.

**D**EUM diligere ex toto corde, & ex  
tota anima, & ex tota mente, quod  
mandatum divinum præcipit, duplici ra-  
tione explicari potest. Modus prior est,  
1. Diligere *ex toto corde*, est mortificare in  
eo, quidquid est amoris proprii. 2. *Ex tota*  
*voluntate*, est negare illi, quidquid illa  
vult, ut expleatur, quod Deus vult. 3. *Ex*  
*tota anima*: est refræcnare omnes passio-  
nes